

241

Handwritten text in a Gothic script, likely a page number or title, partially obscured by a red and white striped border.



77

**DECANUS
FACULTATIS PHILO-**

**SOPHICÆ
IN ACADEMIA LIPSIENSI,
LECTUROS**

ad Orationem.

Vigiliâ Nativitatis CHRISTI

publicè auscultandam

SALUTE OFFICIOSA PRÆMISSA

honorificè invitatos

cupit.





Activitas Christi ut *magnum est gaudium voluntati, sic magnum intellectui miraculum*. Sive enim *nascentem spectes, Deus est, sive parientem, Virgo*. Ut adeo duplici miraculo mens nostra percellatur. Sed satis iam negotii habebit calamus, si vel in *posteriore tantum paulisper occupetur*. Quamquam tanta est utriusque connexio, ut ab altero alterum pendeat. Debat enim, quæ peperit, esse virgo, quia Deus erat, quem peperit [a] Itaque nec alii ferè detrahunt virginitati Matris, quam qui & Filio Divinitatem abinducant, ut Gentiles (b) ac Judæi (c), quibus judaizantes Ebionitæ (d) absque iniuriâ hinc aggregabantur. Sed à Judæis vicissim

a) Itaque cum sobole virginis *Immanuelem*, i. e. Deum hominibus sociatum conjungit Propheta Es. c. 7, 14. *Filium Dei* Angely apud Evangelistam Luc. 1, 32. Canticum Ecclesiæ: *Veni Redemptor Gentium, ostende partum Virginis, miretur omne seculum, talis decet partus Deum*. Huc refer, quod inter causas, cur à desponsata conceptus sit Christus, ex Ignatio refert Hieron. in. c. 1. Matth. Tom. IX. f. 6. *ut partus ejus celeretur Diabolo, dum eum putat non de virgine, sed de uxore generatum*.

b) Ἕλληνας ἀπειδύνας τῇ ἐκ παρθένου γενέσει τοῦ Ἰησοῦ confutat Origenes lib. 1, contra Cels. p. m. 29. Virginem fuisse Mariam negavit & Julianus Apostata, cuius verba è Cyrillo recitat Spencerus ad Origen. p. 27.

c) Matth. 13, 55. *Nonne hic est Fabri filius?* Credebant nempe Judæi, Christum è Josepho fuisse susceptum. Alii è milite, cui nomen Panthera, per execrabilem calumniam, quam apud Origenem lib. I. contra Celsum p. 25. à Judæo contra Servatorem nostrum evomi facit illud hominis flagitium Celsus. In sceleratæ fabulæ incunabulâ iuquirit ibi. Spencerus p. 25.

d) de Semijudaismo Ebionitarum lege Danæi ad c. 9. Aug. de hæres. p. m. 35. Habuerunt autem & hi Jesum pro filio Josephi. Irenæus lib. III. c. 24. ab init. *Non vera est quorundam interpretatio, qui ita audent interpretari Scripturam: Ecce ADULES*

cisim hoc in negotio id separat Gentiles, quod hi neganda
virginitatis in ea, quae mater esset, rationem peterent ab im-
potentia Dei [e.] quippe quem negabant quicquam posse ul-
tra leges. Naturae, vel Materiae patientiam. Quae quidem in re
honestius de divina potestate sensisse Judaeos constat [f.] Itaque
hos, ubi se doceri siverint, in Jesum exquisitè competitivè re-
liqua omnia, quae de Messia vates ipsorum praedixerant, ut Fi-
lium quoque virginis nobiscum profiteantur, ad Esaiam g] in pri-
mis h.] ablegabimus, qui hac insigni ac planè prodigiosa no-
ta Im-

A 2

ta Im-

DOLESCENTULA in ventre habebit, & pariet filium :
quemadmodum & Theodotion Ephesus est interpretatus, & Aquila
Ponticus, utriq; Judaei profelyti. Quos sectati Ebionaei ex Joseph ge-
neratum eum dicunt. De his capiendum & illud initio cap. 21. qui
nude tantum hominem eum dicunt, ex Joseph generatum. Quare
& Symmachus Hebraeorum Bibliorum interpres videtur
fuisse Ebionita, quia omnes V. T. locos in translatione cor-
rupit, qui divinam Christi naturam, & illius ex virgine na-
tivitatem demonstrant. Vid. Danae. d. l. pag. 33 :

e) Itaque; Origenes adversum Gentiles quaestionem hanc disputans
I. contra Cels. p. 29. unicè laborat eos ad potentiae divinae a-
gnitionem perducere.

f) Per egregius haec in rem locus est Galeni XI. de usu part. 14.

g) Decantatissimus est Prophetae locus c. 7. v. 14. *Ecce virgo
(העלמה) concipiet, & pariet filium*, de quo vide Origen. I.
contra Cels. p. 27. Galatin. III. arcan. 18. & VII. 15. Mornæ.
c. 28. de verit. relig. & alios passim. Lepidum est, quod B.
Selneckerus memorat p. 70. & 226. Disposit. in Epist. & E-
vang. fest. de Judaeis duobus, qui Vormatiae A. 1521. coram
Luthero super voce *Almah* in mutua penè verbera ruiſſent. Hi-
storiam Stasfurtensem vide ap. Luth. Tom. VI. Jen. f. 353.

h) Solet aliis quoq; V. T. textib. ἡ παρθενοτομία defendi. Equib.
opidò luculentum est illud Salomonis Lactantio IV. 12. cita-
tum : *Infirmatus est uterus Virginis, & accepit fatum, & gravata est
& facta est in multa miseratione mater Virgo.* Sed frustra quaeras
hoc in Bibliis. Neq; novū est Lactantio talib. testimoniis uti,
quemad-

tā Immanuelem nostrum eximium fecit. Quod in Ebionitas quoq; telum tantò fortiùs torquebitur, quia Matthæus Evangelista, quem illi solum è Fœderis Novi scriptoribus aliquid esse patiuntur i], propheticum oraculum disertè ad conceptionem Christi accommodat k). Gentiles autem, ut ante omnia capitalem illum, rationiq; sanæ prorsus adversum errorem de materiâ increatâ, atq; adeò divinæ potentiæ grande capistrum injiciente, demi patiantur, monebimus. Equidem, si verum esset, quod fuit à multis [l] memoriæ proditum, illâ nocte salutari, quæ DEum terris edidit, Pacis templum, quod duraturum, *quandiu virgo non pariet*, Apollo consultus responderit, funditus corruisse: faceret hoc etiam aliquid fortasse ad minuendam incredulis contumaciam. Sed inconsultum est, velle vero miraculo fidem adstruere à fabuloso. Partum virginis quicumq; negant, inficiandi tantò majorem audaciam sumunt, quod hoc signum non æquè ut alia patuit oculis, fide potius & cogitatione complectendum. Ratione ergò ac veris testimoniis adversum eos agere oportet, non commentitiis narratiunculis. Veris aurem præbere si nolint, omitendi sunt, nec porcis objicienda margaritæ. Neq; tamen, si ad has delicias illorum intellectus obbratuit, abesse à nobis debet huius tanti mysterii venerabunda contemplatio. Quam illud maxime excitabit, quod singulare penitus ac divinum illud opus fuit. Enimverò, quod alvus mulieris viri nesciæ intumuit,

quemadmodum ad ipsum ostendit editio Gallæi p. 369. 383.

^{412.}
i) Vide Irenæ lib. I. c. 26. Danæ. ad Aug. de hæres. p. 36.

k) C. I. v. 22. 23.

l) inter hos est Gvillermus in Postillâ p. 8. Commentum hoc refellens Baronius præf. Annal. n. II. f. 58. *Invenimus, inquit, hæc primum narrata in homiliâ quâdam incerti auctoris (de Nativ. Dom. vid. Labb. Tom. II. de script. Eccl. p. 203.) titulo tamen Petri Damiani prænotatum.*

tumuit, [nam in hoc sita maximè m) vis fuit stupendi facinorosis,] quoniam naturæ facultates hoc supergreditur, magnū est miraculum; quoniam imitari Diabolo non licet, maius est; quoniam ne Deo quidem ipsi bis repetere libuit, maximum. Ut adeò tribus quasi gradibus in altum nitatur grande hoc divinæ virtutis documentum. Primò supra naturæ vires est, ut uterum ferat, quæ virum non tulit. Hoc ipsum nuncio cœlesti Maria (n,) hoc Evangelii testibus Gentiles [o] olim respondebant, licet animis maximè disparibus: illa, ut erudiretur; hi, ut erudientium operas frustrarentur. Sed nostrum est B. Virginis exemplum imitari, & ut infinitæ potentie crescat in nobis admiratio, angustos Naturæ fines prius intrari. Quæ in quocunque viventium ordine sexum discrevit, nunquam absq; masculino soli fœminæ propagandi generis potestatem facit. Equæ tamen, in quibus, in Lusitaniâ feruntur è vento concipere, & vulturum sine maribus fœcunditatem multi celebrant scriptores (p). Verùm ad fabulas, (q), quibus de hoc genere mundum impleverunt naturales historici, jam dudum aures ob-

A 3

furdue-

m) Perpetuam r̄ns J̄eſou's virginitatem ita circumscribere solent: *Virgo fuit ante partum, in partu, post partum.* Sed in hoc ultimo non est adèò multum admirationis. In eo potius, quòd virgo fuit ante partum, h. e. simul virgo, simul gravida. Unde consecutum est alteram, ut in partu quoq; servaret virginitatem.

n) Luc. i. 34.

e) supra lit. e.

p) De utrisq; locos autorum capiosè dabunt Cerda ad III. Georg. Virg. v. 283. f. 400. 401. & Wovver. c. 11. Polymath. De Equabus Hispanicis vide sis etiam Libavium lib. IV. de univers. p. 262. 263. & Fortun. Licetum I. de ortu anim. hum. c. 16. & 18. p. 117. 133. De Vulturibus Allat. in Eustath. Hexaem. p. 121. & Spencer. ad Origen. p. 28.

q) Sic de re præsentis judicant ferè, quos modò citavi. E quibus & conjecturam capies, quid fingendi causam dedisse poterit.

surduerunt nostræ. Nam quod Patres (r) his exemplis τῶν
 παρθενοτοκίαν Gentilibus approbare student, non tam eo
 factum, quod ipsi talia crederent, nisi velimus Origenem, qui
 in eadem disputatione post vultures ad Ethnicorum quoque
 Terrigenas provocat (s), etiam huic mendacio fidem præbu-
 isse, quam ut minora credentes [t] ab hoc velut humili gradu
 attollerent ad historiæ sublimioris conscientiam. Age verò,
 fit in equis Lusitanorum, fit in vulturibus ista, quam volunt,
 Naturæ facilitas. De homine imprimis quæritur, non de qua-
 drupede aut avitio: de vitali fœtu, non de ovo Zephyrio.
 Sectetur compendiū in brutis natura: fit minus pomposa vi-
 lium rerum annona. Perfectissimi animalis certè majoris im-
 pensæ decet esse elaborationem. Nisi sexui se misceat sexus,
 non procreabit hominem natura. Absque certo Patre (u)
 multi nascuntur Partheniæ [x] absq[ue] ullo nemo. Quod
 Mela Pomponius y insulam nobis Æthiopici maris narrat, in
 quâ tantum fœminæ sint toto corpore hirsutæ, & sine coitu
 marium sua sponte fœcundæ, scimus ipsius commentum esse.
 z Ne Dæmon quidem, quod alterum erat caput, cum sæ-
 pè, ut divinorum est operum simia, majora naturæ viribus e-
 molliatur, absque connubio gravare fœminam potest. Multa
 ipsi connivet Deus: sed miraculis, quorum imitandorum li-
 centiam illi negavit. (a) rectè accensebimus partum, ut ex anu
 effœta ac sterili b, sic è Virgine virum non passâ. In quam
 sententiam piè atque graviter ante hos quatuordecim annos
 mem[or]o

-
- r) Origen. I. contra Cels. p. 29. Lactant. IV. 12. Ambros. V. He-
 xaem. 20. s) d. 1.
 t) Non omnes tamen Ethnici credidere. Justinum vide lib.
 XLIV. c. 3.
 u) Hinc Spurios Romani duabus tantum literis innuebant S. P.
 quasi qui essent sine Patre, puta certo.
 x) Partheniarum qui apud Lacedæmonios fuerunt, mentio ap. Ju-
 stin. III. 4. & Aristot. V. Pol. 7. Lactant. I. 20. Parthenios vo-
 cat. y lib. III. c. 9. z Vid. ibi Isaac. Voss. p. 305.
 a) Duodecim genera talium miraculorum commemorat B.
 Mengerling Inform. Consc. p. 196.
 q) Phil. Melancht. Tom. III. oper. f. 258. 741.

meminimus audire publicè differentem B. Carpzovium [c] verè ardentis eloquii Theologum antehac urbis nostræ. Quare Delrio [d] asserens posse daemones efficere, ut virgo mente & corpore permanens concipiat, placere nobis non potest. Quamquam enim addit: non sine virili semine: tamen neque hoc illis magis, quàm Naturæ e licere existimandum est. Non permittit illis Deus, ut producendis cyniphibus Mosen imitentur, f & in hoc omnibus seculis obstupescendo facinorè ferat æmulos, qualemcunque veri speciem, ut se Deo æquiperent, machinantes? Quid? Ipse Deus nunquam repetiit hoc miraculum, nunquam repetet: repetendi facultatem Diabolo indulget? Atq; sic ad ullud quoq; perventum est, quod ultimum proponebamus. ut uni homini contigit edi absque patre pariter his in terris ac matre, Adamo; uni absque matre, Hevæ, sic uni absq; Patre, Christo. Virgo illa Mater ejus verè exemplum est sine exemplo. Ex omni tot ab usque Mundi exordio foeminarum numero nulla præcessit ipsam, nulla secuta est hæctenus, aut unquam sequetur, quæcum eâ comparari queat. Nam quæ de Virginum filiis Romulo ac Remo g Budda h Platone i, Bensyra k, Simone Mago (l.) Merlino m, Mahometanorum Nefesoglis n pro dita

- c) Perhibentur quædam foeminae in balneo absq; viri congressu concepisse: & viribus Naturæ hoc tribuitur. Sed nō credit ipse Delrio d. l. Add. Casim. Psych. hom. c. 8. q. 4. p. 176. f. Exod. 8. 18.
- g) Hieron. l. adv. Jovin. Tom. III. f. 22. & alii passim.
- h) Hieron. d. l. Apud Gymnosophistas India quasi per manus huius opinionis auctoritas traditur, quod Buddam principem dogmatis eorum è latere suo virgo generavit. Sed quid est, quod Mich. Majerus c. 13. de voluc. arb. p. 137. refert: de Budda - scribunt nonnulli, quod ex eius latere virgo enata sit? Suspicio deceptum fuisse H. Corn. Agrippæ phrasi infinitivâ: Buddam è latere suo virginem generasse, III. de occult. phil. 35. quæ non minus ambigua est, quàm illud oraculum Pyrrho datum.
- i) Hieron. ibid. & Orig. l. contra Cels. p. 29.
- k) ex Hebræorum commentis Delrio II. Disq. Mag. p. 164.
- l) Sic ipse de se Simon apud Pseudo Clementem II. Recogn. f. m. II. Ne putetis, quod generis vestri homo sim ego, neq; magus sum, neq; amator Lunæ, neq; Antonii filius. Ante enim, quàm mater mea Rachel

dita leguntur, partim frivola sunt mendacia^o], partim imper-
 tinentes ineptiæ p], Antichristum verò ex virgine nascitu-
 rum credat Hippolyto q], cui libitum est decipi. Nobis ve-
 rò sit religio prærogativam singularem, quam soli Filio uni-
 genito servatam voluit Pater cœlestis, cum ullo homine com-
 municare. Salva sit illi historiæ suæ Majestas, quam Exercitus
 militiæ cœlestis inusitato spectaculo noctem illustrans Pasto-
 ribus annunciavit. De felici Pastorum Vigilia crastino die
 publicè declamabit ornatisimis moribus, nec vulgari erudi-
 tione præditus Juvenis, JOH. CHRISTIANUS VIGILIUS, Viri
 perquam Reverendi & Clariss. Dn. M. SIMONIS WACHII,
 in Æde Suburbanâ Pastoris per annos benè multos vigilantis-
 simi, Bonisq; omnibus carissimi Filius, congruum & nomini
 suo, & huic temporis argumentum secutus. Eum ut in Audito-
 rio nostro post matutina sacra Magnif. Rector cum Amplif.
 Academia Proceribus, omniumq; Facultatum Doctoribus,
 Licentiatis ac Magistris, Cives item ac Studiosi Politissimi,
 audire dignentur, & nostro & Optimi Parentis nomine humi-
 liter, officiosè, amanter contendimus, paria, ubi poterimus,
 facturi opere, certè, ubi nò poterim, voluntate. PP. propriè
 Natalium Salvatoris, d. 23. Decembris Dominica IV. Ad-
 ventus Anno M DC LXVI.

*Rachel conveniret cum eo, adhuc virgo concepit me, cum esset in po-
 testate meâ vel parvum esse, vel magnum, & hominem inter homi-
 nes apparere.*

m] Agripp. III. de occ. phil. 34. Wier. II. de præst. dæm. 46.

n] Apud Mahometistas constans opinio est, plerosque, quos suâ lin-
 guâ Nefesogli vocant, occulto quodam divina dispensationis modo, si-
 ne carnali coitu nasci, Agrippa d. l. c. 35. Adde Cigogn. Theat.
 Nat. lib. II. c. 15. p. 264.

o] ut illud Gymnosophistarum de Buddâ, Simonis Magi de se
 ipso, Judæorum de Bensyra, Mahometanorum de Nefesoglis.

p] ut illud de Romulo, Remo, Platone, Merlino. Nec enim
 planè hi ἀπατορες introducuntur, sed pro homine patre no-
 minatur aliquis deaster vel dæmon: nempe qui viri partes e-
 gerit. Huc & fabulas refer. de Danae, Melanippe, Auge, An-
 tiope, quarum mentio apud Origenem p. 30. egregiis Poeta-
 rum Virginibus, scilicet.

q] quem citat Draud. lib. II. Colloq. Postcanic. p. 14. Vid. &
 Pseudo Augustin. de Antichristo Tom. IX. oper. f. 1187.

Lipsiæ, Literis SPÖRELIANIS.


DD A 6358

ULB Halle 3
002 920 387



Sb.

Reho ✓ 1077



Fragment of text on the spine, including a prominent red initial 'P'.



77



US
PHILO.

E
SIENSI,

RISTI
ÆMISSA

Originem huius
sacramenti
in scripturis
non habere
expressam
mentionem
sed in
sacramentalibus
scripturis
esse
manifestum
esse
videtur.

